Palat. lat.
1381 1343

Oppositionem vero sic invenies. Habita quantitate coniunctionis addat super ea
istum numerum puta 14 · 18 · 22 · 1 · 31 Et si ex tali additione plures dies
provenerint quam iste mensis habet in quo diebus fuit coniunctio tunc reiciat
numerum dierum usualium eiusdem mensis residuum vero computet
a primo mensis sequentis et habebit quod petit.)

Possibilitatem eclipsis solis et lune sic invenies. Quere
argumentum latitudinis lune ad tempus coniunctionis medie si queris
possibilitatem eclipsis solis. Vel quere argumentum ad tempus
oppositionis medie si queris possibilitatem eclipsis lune. Compare
secundum motum ut dictum in canone de mediis motibus planetarum
Et si argumentum latitudinis fuit nichil in signo. Et minus 12 in
gradibus. vel 2 signa et plus 18 in gradibus vel quinque
in signis et plus 18 in gradibus Vel tria signa et
minus 12 in gradibus dic eclipsim fore possibilem.) Finis.

Mathias Kemnatensis Ex rogatu quorundam die Veneris hora duodecima
incipiet resumere et practicare species arismetrice scientie de in-
tegris et radicum extractione Algorismi regulis generalibus et specialibus
universaliter secundum Regulas figuras et questiones abaci. In geometria
mensurare longitudines latitudines profunditates singulares res mensurabilium
vasorum et columpnarum mediante virga quadrante vel instrumenti quadrati
geometrici Confectionem horologiorum et instrumentorum portatilium instruet. In Astronomia
motus verum planetarum Coniunctiones oppositiones et aspectus possibilitatem eclipsis per
instrumenta et per tablas edocebit. Tabulas Alphonsi regis et astrologorum optimorum
Abbatis de Reychenbach. Johannis de Lineriis Aut per tabulas magnas fratris Allexandri
infallibiliter instruent. Secundum visus oculorum status coniunctionis
directionis retrogradationis Vespertine aut matutinaliter complexionis de facili ad
oculum monstrabit. Judicia itaque astrologie secundum Ptolomeum principem astronomie et secundum
Albubather Dorotheum Alfraganum Zael Messahalla Haly Abenragel
indubitanter dabit Compositionem aliorum instrumentorum dabit verus Astrolabii
quadrantis directionum spere solide Saphee Quadrantis geometrici
equatorii Albionis spere materialis Torqueti et aliorum plurimorum.)